

Konrad Som<sup>1)</sup> an Vadian.

Ulm. (1528.) März 30.

Dank für die Anknüpfung schriftlichen Verkehrs. Feindliche Absichten und Rüstungen des Schwäbischen Bundes gegen das Evangelium. Die Wiedertäufer. Gerücht über Freilassung der gefangenen Evangelischen in Wien.

Gratia et pax a domino per Christum. Dici non potest, præstantissime<sup>a)</sup> Vadiane, quam me delectarint literę tuę gratulatorię, quibus et te multo setius<sup>b)</sup> affectum esse declaras ac reliquos huius sæculi<sup>a)</sup> magnates, quorum tantus est fastus tantumque supercilium, ut obscuriores viros (qualis ego sum) vix dignentur vel alloqui. Tu vero, qui et ingenii fecunditate<sup>c)</sup> et civili prudentia ceteris<sup>c)</sup> longissime præstas<sup>a)</sup>, non modo alloqueris, verum et inter tuos connumerare soles, id quod et Bernę et Tiguri præsens<sup>a)</sup>, iam vero gravissimis literis tuis absens expertus sum. Hoc autem tanti facio, ut, si aliud nil ex Helvetiis reportassem, quam tanti viri benevolentiam, satis felicem<sup>c)</sup> estimarem<sup>a)</sup> profectionem meam. Oro igitur, ut, quod pollicitus es, præstes<sup>a)</sup>: hoc est, ut crebro ad me scribas, si præ<sup>a)</sup> occupationibus licuerit. Ego tua humanitate fretus non verebor, vicissim meis literis tibi obstrepere potius quam scribere. Te enim mea omnia, qualiacunque sint, boni consulere non ambigo. Sed de hoc satis. Ego domi omnia in statu suo inveni, ita ut grave adhuc certamen restet. Equum<sup>a)</sup> esset, ut in restituendo christianismo totus desudarem et magistratum ad nil aliud hortarer. Verum ad alia rapior. Habet et nostrum sæculum<sup>a)</sup> suos Neronos, Domitianos, Diocletianos et Iulianos, emergenti verbo furiose oblutantes. Quod ut planius intelligas, paucis accipe. Squamę illę Behemoth, hoc est Svevici Pacti primores, squamarum instar sibi ipsis coherentes<sup>a)</sup>, evangelio bellum indixerunt. Eorum institutum est, Christum non setius<sup>b)</sup> ac lupus culicem deglutire. Iam enim Augustę comitia<sup>d)</sup> celebrantes impiissime decreverunt, quadringentos equites conscribendos esse, et his in quattuor cohortes divisus mandarunt, ut catabaptistas omnes, quotquot interceperint, igni puniendos tradant; deinde eos, qui præsentiam<sup>a)</sup> carnis Christi in pane negant, indicta causa condemnant et in pœna<sup>a)</sup> catabaptistis equant<sup>a)</sup>. Contra hos tam manifestarios Christi hostes iam bellum gero et impiam eorum tyrannidem tanta acerbitate traduco, ut maiore nequeam. Catabaptistas proscribendos, non perdendos esse censeo ob solum catabaptismum, nisi

et iuramenti violatio et alia crimina accesserint. Qui vero Christum non in pane, sed a dextris dei quęrunt<sup>a)</sup>, in nullo prorsus peccarunt. Satanicum igitur est, tales velle perdere. Ad hæc<sup>a)</sup> peculiariter me urit, quod Ulma cum ceteris<sup>c)</sup> civitatibus Svevico Pacto insertis in hanc impietatem consenserunt, putantes se vi pacti ad hoc astrictos esse, cum tamen iura pontificia testentur, iuramentum non esse vinc(u)lum iniquitatis, ita nec pactum aut fœdus<sup>c)</sup> ullum. Huc (!) omnia tentabo, quod pietati conducere existimavero, cum privatim, tum publice. Communibus votis oremus Christum, cuius nomine infensi sunt nobis impii, ut causę nostrę equitas<sup>a)</sup> feliciter<sup>c)</sup> succedat nec sinat impios prævalere et nos ad internecionem<sup>e)</sup> perdere iuxta eorum votum et sententiam. Amen! Fama apud nos volat, sed incerta, Ferdinandum eos, qui ob verbum in vincula coniecti fuerant Viennę, liberos dimisisse et demandasse, ut anabaptistę scripturis in viam reducantur. Quod si fecit, ex Fabri officina non hausit. Ego hostibus meis aliud genus catabaptistarum monstravi, monachorum scilicet, qui nocentissimi catabaptistis existunt<sup>f)</sup>. Ordinem catabaptismum vocarunt et crebro alia nomina indiderunt iis, qui professionem fecerunt; se solos fratres appellarunt et nos ceu ethnicos aspernati sunt; bonorum communio apud eos fuit; verbi ministros contempserunt et sese apostolicos prædicatores esse iactarunt, cum per orbem circumvagari soleant; magistratui semper rebelles exstiterunt<sup>f)</sup> et a publicis oneribus sese exemptos asserebant, in quo catabaptistarum malitiam longe superant. Si ergo perdimi sunt catabaptistę<sup>a)</sup>, cur illos (dixi pro publica contione<sup>b)</sup>) non perdimus? Quod si quid nimium a me dictum estimas<sup>a)</sup>, admone, quęso<sup>a)</sup>, per literas. Adieci tamen, nec hos nec illos ferro aut igne perdendos esse, sed verbo ab errore revocandos. Satis superque de hoc. Optime vale et me commendatum habe. Ulmę, XXX. Martii<sup>b)</sup>. Resalutat te Strölinus noster officiosissime etc.

*Chunradus Som*, tuus ad vota.

Gravissimo simulque prudentissimo viro Ioachimo Vadiano, Sanctigallensium consuli, domino suo semper observando.

a) „e“ für „ę“, bezw. „æ“. — b) „e“ für „t“. — c) „ę“ für „e“, bezw. „æ“ in der Stammsilbe. — d) „comm.“. — e) „internit.“. — f) „exist.“, „ext.“.

1) Von dem ulmischen Reformator *Konrad Som* (Sam, Saum), geb. 1483 zu Rottenacker an der Donau, im württembergischen Oberamt Ehingen, gest. 30. Juni 1533, sind 4 Briefe an Vadian aus den Jahren 1528—32 vorhanden. — Vorstehender Brief ist offenbar kurz nach der Disputation in Bern geschrieben, die im Januar 1528 stattfand und der auch Som beiwohnte; fällt also ohne Zweifel auf den 30. März dieses Jahres. Der Titel «consul» auf der Adresse trifft dabei allerdings nicht genau zu, da Vadian 1528 das Bürgermeisteramt nicht bekleidete.